



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

19. An quando accidit Festum Annunciationis B. Virginis in die Parasceues,  
sit Missa illius diei audienda sun ratis peccati mortalis. Et an Missa illius  
diei non sit Missæ, neque propriè Sacrificium, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

ibi celebraretur, & omnia peracta fuerint, non minus quam si esset in Ecclesia, vel fortasse melius, quam si fuisset in Cæmeterio (cum tamen ex Cæmeterio sufficere supponat ibi Diana in fine.) Hoc totum non potest fieri sine illa præsentia morali requisita. Nec video cur, verbi gratia, quis ex fenestra suæ domus vergente ad forum, etiam interposita satis ampla platea censetur præsens moraliter, & sectator Tauriludij Hispanici, vt incurat censuram Sacerdos siue Sæcularis, siue Regulatis, quando vigeat ea lex, poena, & non censetur eadem, aut longè propinquior distantia sufficiens, vt censetur præsens celebrationi Missæ. Quod amplius confirmo, & declaro. Nam ea præsentia in Missa censeri debet iuxta communionem hominum ætimationem, vt patet: talis autem censetur etiam longinquior, ergo etiam illa. Subsumptum probo multis centenis, imò millibus hominum ita consentibus. Veniebam ego olim in Classe treremium, in comitatu Augustissimi Imperatricis Mariæ, tunc Reginæ Vngariæ: celebratur in litore, maxime diebus præceptus: nemo timoratus ibi non assistebat ex sua treremi, quando valde procul celebrabatur, duplo magis procul, aut sextuplo, quam sit distantia, de qua agimus in nostro casu, & omnes celebrabant se præsentem Missæ, eo ipso quod in tali loco essent, vnde aliqua ratione possent cognoscere quid ageretur. Ideo mihi placet Gordonus Theolog. Moral. tom. 2. lib. 6. quest. 7. cap. 2. num. 12. qui putat sufficere, si quis sit corpore præsens, vbi possit cognoscere quid agatur, etiam si sit extra Ecclesiam. Legatur Lugo supra num. 2. 1. vbi idipsum docet, nisi sit nimia fenestra distantia, ob maximam quandam plateam; sed hoc prudentis iudicio committendum est. Huc vsque Dicastillus, cuius sententiam explicari potest in domo Illustrissimi Marchionis del Bufalo Domini mei amantissimi sita hic Romæ in Platea Diui Petri: nam si aliquis ex aliqua fenestra dictæ domus vellet audire Missam, quæ dicitur in Altari Ecclesiæ Diui Petri, certè quidem non satisfaceret præcepto; quia distantia esse nimis magna: secus autem dicendum foret, si aliqui ex fenestra eiusdem domus vellet audire Missam quam Sacerdos celebraret in Ecclesia S. Catharinae, Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti Diui Petri: ego putarem, stante opinione Dicastilli, Cardinalis Lugo, & aliorum, quod satisfaceret præcepto: nam fenestra illa non distaret nimis ab Ecclesia, ita vt impediret moralem præsentiam necessariam pro Missa audienda. Et ita hanc sententiam, præter Doctores citatos, tenet etiam Garcias in sum. Theol. Mor. tr. 4. diff. 9. num. 2. & Leandrus de præcept. Eccles. tr. 2. disp. 1. §. 103. & vt probabiliter etiam admittit Pellizzarius in Man. Regul. tom. 1. tr. 5. cap. 5. sect. 2. n. 45.

2. Nota hic obiter, Leandrum vbi supra, quest. 105. & 106. docere, existentem post parietem Ecclesiæ, & Missam audientes, satisfacere præcepto: Et si dicatur Missa in alta Turri, & ipsi foris existant, dummodo tamen aliquo signo, aut quouis alio modo cognoscant quid Sacerdos in Missa agat. Et idèd in quest. 107. contra Cardinalem de Lugo putat, quod si aliquis in Basilica Diui Petri audiat Missam, quæ dicitur in aliqua Capella, non vidèdo quid Sacerdos agat, si coniungeretur multitudini quæ esset præsens moraliter Missæ, & efficeretur pars illius, ita vt esset verum dicere, esse de numero eorum, de quibus in Canone Missæ dicitur: Et omnium circumstantium, tunc reuerè, quantumvis Missa diceretur in Altari valde remoto, & esset priuata, verè diceretur moraliter præsens illi, ac proinde satisfacere, quamuis nec Sacerdotem videret, nec audiret; quia sufficeret ei esse partem multitudinis, quæ moraliter est præsens;

Tom. II,

surgere, genuflectere, ac peccatus tundere cum aliis, &c. Et hæc ex mente Leandri dicta esse volo.

RESOL. XIX.

An quando accidit Festum Annũciationis B. Virginis in die Parasceses, sit Missa illius diei audienda sub reatū peccati mortalis. Et an Missa illius diei non sit Missa, neque propriè Sacrificium, cum non sit noua Hostia consecratio? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 62.

§. 1. Sententiam affirmatiuam docet Nugnus tom. 1. in 3. part. quest. 83. art. 1. diff. 2. fol. mihi 484. & Valquez tom. 3. in 3. part. disp. 232. cap. 2. num. 18. vbi ait: [Festum sexta in Parasceses Missam à nullo Sacerdote celebrari posse, ab hoc tamen non tollitur, quin eo die si festum aliquod consuetum ab Ecclesia seruari incidat, totus populus interesse debeat illi officio, in quo Sacramentum præsanctificatum consumitur, ex vniuersali præcepto audiendi Missam, siquidem illud loco Missæ haberi potest. Per officium autem cui populus interesse debet, intelligi non passionem, neque cæteras orationes, quæ post illam, antequam Sacramentum ex suo loco in Altare deferatur, dicuntur: sed illud tantum, quod extracto Sacramento; & in Altari posito à Sacerdote celebratur.] Hæc Valquez.

2. Sed aduersus illum contrariam sententiam ego semper tenui, quam docet ex nostris P. Naldus in sum. ver. Missa, n. 20. & P. Molfesius in sum. tom. 1. tr. 3. c. 17. n. 40. Ratio est, quia Missa illius diei non est Missa, neque propriè est Sacrificium, cum non ad sit noua Hostia consecratio, vt probat, contra Nugnum vbi supra, Franciscus Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 75. sect. 4. Bellarmin. tom. 1. lib. 4. de Eucharistia, cap. 22. Sebastianus Perceus in tr. de sacrif. Missæ, cap. 14. Bonacina de Sacram. disp. 4. quest. ult. punct. 2. num. 3. Hentiquez in sum. lib. 9. c. 9. n. 6. Ledelma in sum. tom. 1. cap. 19. conclus. 5. fol. mihi 123. Scorzia de sacrif. Missæ, lib. 1. cap. 5. ad 3. ang. secundæ opinionis, qui citat Richardum, Maiorem, Gabrielem, & alios.

3. Ad argumentum Valquez possit aliquis respondere, fideles ex vi præcepti Ecclesiastici teneri audire tantum Missam, quod est præceptum de re indiuidua, & non omne id quod succedit loco Missæ, vel partem Missæ. Et post hæc scripta, inueni Sancium in select. disp. 32. n. 13. & Gauantum in comment. ad Rubr. Missæ, p. 3. tit. 29. n. 24. docere hæc posterio rem sententiam, & ita declarasse Sacram. Cardinalium Congregationem sub die 19. Februarij 1622. testatur Gauantus: vnde non est amplius Valquez in posterum audiendus.

RESOL. XX.

An qui audit Missam post Euangelium inclusiue satisfaciat præcepto? Et an quis vnica Missa possit satisfacere pluribus vnica Missam perentibus sine stipendio? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 196.

§. 1. DE hac questione alibi dictum est, nunc vero solum addam Gaspar. Hurradum de sacr. Miss. disp. 5. diff. 1. affirmatiuam sententiam docere, sic enim ait: Omisso Missæ vsque ad Euangelium inclusiue, seu iam dictum, si ab eo iam dicto assistatur vsque in finem, non erit mortalis: quia omisso hæc non videtur attingere grauitatem. Ita ille.

V 3 a. No

Sup. hoc inf. ex doctrina ref. 25. §. ult. ad medium, & vers. Sic enim Feita, & in tom. 1. tr. 4. ref. 175. §. 1. ad med. & in tom. 9. tr. 7. ex Ref. tr. 5. aliqui. post mediu. à vers. Ad dunt.

Sup. hoc inf. in Ref. 25. §. ult. ad med. vers. Sic enim. Feria, & in tom. 9. tr. 7. ex lata doctrina Ref. fol. 111. melius in eius §. His sup. positis, & seqq.

Alibi signa. ter inf. in ac. fol. 25. & in Ref. 21. & 23. &c.